
J. P. Resen

de bonis operibus Diss.


Hafn., 1597.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

3,-186

LN 548
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

THESES

QVIBVS REPETITVR SVMma veræ & incorruptæ doctrinæ, quam noſtræ Eccleſiæ profitentur, de bonis operibus, De quibus Deo juuante, pro licentia accipiendi Gradum Doctorum in Theologia die 15. Iunij, Diſputabit Reuerendus & doctiſsimus vir

M. IOH. PAVL. RESENIVS,

Præſide

GEORGIO C. DIBVADIO.

HAFNIÆ

Impreſsit Matthias Vinitor,

1597.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

Theſis I.

TAm arcta eſt coniunctio iuſtificationis ſeu abſolutionis á peccato, & ſanctificationis, ſeu mentis, voluntatis & affectuum renouationis, ex qua viui & natiui fructus proueniunt, qui vocautur bona opera, vt qui ſeparationem tentare velit, rem, quæ fieri non poſsit, moliatur.

2. Nam vt à Sole non poteſt ſeiungi lux, ab igne calor, á vita ſenſus & motus, ita natiuitas cœleſtis, & ſtudium obtemperandi Deo in operibus ab ipſo præceptis, á iuſtificatione, ſeu remiſsione peccatorum, & acceptatione ad vitam æternam, non poteſt ſemoueri.

3. Et vt homo ad Deum aſcenſurus, & cum eo acturus, ſola fide nititur, omni ſua dignitate, & propriarum virtutum meritis exutus, & agnoſcit ſe gratis, ſine operibus, propter Chriſtum accipere iuſtitiam & vitam, quæ inde eſt, quòd ipſi imputetur legis impletio, & pœnæ commiſsis peccatis debitæ perſolutio, perinde ac ſi ipsemet legem impleuiſset, & pro peccatis ſuis debitas pœnas luiſset: ita deſcenſurus ad homines, & ſe locum in Eccleſia habere oſtenſurus, edit opera nouæ obedientiæ, quæ & priuatim ipſi teſtimonium perhibent, donatæ à Deo iuſtitiæ, & publicè incurrunt in oculos & aures aliorum, qui conſpectis & auditis his teſtimoniis, quæ lucent in tota vita, non ſolùm intelligunt ardere in corde flammam verarum virtutum accenſam á Spiritu ſancto: ſed etiam exemplo noſtro inuitantur ad ſocietatem Eccleſiæ, & ad amplectendam ſcientiam ſalutis, iuxta dictum Matth. 5. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

4. Cùm ergò, extincto puro bonorum operum ſtudio, certò ſtatui poßit, nullam ſubeße fidem, ſed ſibi falſa perſuaſione illudere homines, & ſpectrum, aut exanime cadauer, pro vera & viua Dei cognitione, ſalutariq; fiducia fouere, nihil rectius & ad inhibendam iram Dei reprimendamq; effrænem peccandi licentiam in ſanabilibus accommodatiùs fieri poße videtur, quàm vt hanc vtilißimam, & hoc corruptißimo rerum ſtatu, quando vitia, virtutibus proſtratis, probitatis faſtigium paßim occupant, planè neceſſariam de bonis operibus doctrinam, declaremus.

5. Sed ne videamur vel nouum doctrinæ genus comminiſci, vel oſtentandi ingenij gratia, methodum á fidis Eccleſiæ doctoribus ſeruatam, in hac explicatione contemnere, magni illius Philippi Melanchthonis & aliorum, qui doctrinam à Luthero repurgatam fideliter tradiderunt, veſtigiis inſiſtentes, totam rem quinq; quæſtionibus complectemur.

6. Dicemus ergò 1. quæ opera ſint facienda. 2. Quomodo fieri poßint. 3. Quomodo accepta ſint, & placeant. 4. Propter quas cauſas facienda ſint. 5. Quid ſit ſentiendum de peccatis, quæ adhuc in renatis ſunt reliqua.

7. Et vt appareat argumentum iſtis partibus contextum, non nimis latè diffundi, ſed iuſtis terminis ac finibus cõprehendi, definitionem quæ iſta membra omnia contineat, talem adferemus.

8. Bona opera ſunt, quæ ex vera fide, iuxta doctrinam Legis diuinæ fiunt, ad celebrationem Dei, & noſtræ erga eum gratitudinis ſignificationem, á Spiritu ſancto in nobis excitata, imperfecta illa quidem in hac vita, ſed tamen grata Deo propter Chriſtum, Vel, ſunt actiones quæ in renatis, operante Spiritu ſancto per fidem, ſecundum præſcriptam Legis diuinæ regulam,

 dirigun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

diriguntur, vt in illis glorificetur Deus, & iuuentur proximi.

9. Hanc Definitionem nunc in eas partes, vnde compoſita eſt, diſtribuemus, vt quid ad ſingulas quæſtiones, quæ ſupra poſitæ ſunt, verè reſponderi debeat, conſpiciatur.

10. Vbi ergò de eo eſt interrogatio, vt intelligatur in quibus operibus humana vita, ne à ſcopo diuinitùs conſtituto, vſpiam aberret, ſe exercere intus & foris, publicè & priuatim debeat, verè reſponderi poteſt ea eſſe, quæ Deus ſua lege præſcripſit.

11. Atq; huc pertinet, quod in Definitione eſt, bona opera iuxta doctrinam Legis diuinæ fieri debere, cuius noſtræ aſſeuerationis quam plurima adduci poſſunt ex ſcriptura teſtimonia. Inter alia hæc quæ ſubijciuntur, admodum illuſtria ſunt. Num. 15. 39. Non ſequantur cogitationes ſuas, & oculos poſt quos fornicantur, ſed memores præceptorum Domini faciant ea, ſintq; ſancti Deo ſuo. Deut. 4. 2. Non addetis ad verbum, qnod vobis loquor, nec auferetis ex eo, cuſtodite mandata Domini veſtri, quæ ego præcipio vobis. Et 12, 28. Obſerua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt benè ſit tibi, & filiis tuis poſt te, in ſempiternum, cùm feceris quod bonum eſt & placitum in conſpectu Dei tui. Et ver. 32. Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Pſal. 119. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitis meis. Ezech. 20, 18. In præceptis Patrum veſtrorum ne incedatis, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini, ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, & facite ea. Eſa. 29. v. 13. Et Matth. 15. 8. Fruſtra colunt me mandatis quæ ab hominibus docentur. Matth. 28. 20. Docentes eos ſeruare omnia, quæcunq; ego mandaui eis.

Rom.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

Rom. 12. 2. monet Apoſtolus, vt quisq; probet, quæ ſit voluntas Dei bona, placens & accepta. Voluntas autem Dei ex verbo ipſius diſcenda & æſtimanda eſt.

12. Verbum igitur ſuum proponit Deus, vt ſit norma bonorum operum, & ita aſtringit ad illud verbum populi ſui obedientiam, vt cultus electitios, & mandata quæ ab hominibus, opinione cultus, docentur, reijciat.

13. Ac proinde rectè judicat Auguſt: cùm lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. ait, Peccatum eſſe dictum vel factum, vel concupitum aliquid contra Legem æternam Dei. Et Ambros: libr. de Paradiſo cap. 8. Peccatum eſſe præuaricationem Legis diuinæ, & cœleſtium inobedientiam præceptorum.

14. Nam vt nulli creaturæ fas eſt inſtituere cultum Dei, aut indicere opera, quæ pro cultu Dei præſtentur, quacunq; intentione id fiat: ita grauiter peccant omnes, qui obtemperant legibus aut edictis quæ iubent facere contra mandata Dei, ſiue leges illæ ab Epiſcopis, ſiue Regibus, ſiue aliis Magiſtratibus, ſiue á Diabolo propoſitæ ſint.

15. Atq; ideo impia eſt audacia hominum, qui comminiſcuntur cultus proprio arbitrio, præter mandatum Dei, aut ſentiunt ſe maiora & meliora opera facere poſſe, quam quæ præſcripta ſunt in Decalogo rectè intellecto, iuxta Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum enarrationem.

16. Nec difficile eſt reſpondere ad ea Argumenta, quæ afferuntur à patronis decreti concilii Tridentini, ad obtinendum quod illi, quibus commiſſa eſt Eccleſiæ gubernatio, habeant poteſtatem quæcunq; proponendi, ſtatuendi & præcipiendi, ſiue habeant mandatum & teſtimonium verbi Dei in Scriptura, ſiue non

habeant, ad quorum obedientiam obligata ſit Eccleſia: vel vt eorum verbis vtar, quòd poſsit ſummus Pontifex cogere fideles, vt id credant vel faciant, quod ipſe iudicauerit, quod ipſum, ſeruata proportione de Epiſcopis cœteris intelligatur. Et quærimus, inquit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 15. an ille habeat veram poteſtatem in omnes fideles in ſpiritualibus, vt habent Reges in temporalibus, ita vt ſicut illi poſsunt condere Leges ciuiles, & punire transgreſsores temporalibus pœnis, ita Pontifex poſsit condere Leges Eccleſiaſticas verè obligantes in conſcientia, & poſsit transgreſsores punire ſaltem ſpiritualibus pœnis, vt excõmunicatione, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate.

17. Solent autem ad comprobandam hanc ſententiam inter alia, etiam hæc ſequentia Scripturæ dicta ab eis citari. Deut. 17. 12. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo iſte, & auferes malum de Iſrael. Matth. 16. 19. Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit & ligatum in cœlo. Matth: 23. 22. Super cathedra Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite. Luc. 10. 16. Qui vos audit, me audit. Ioh. 20. 21. Sicut miſit me pater, ita ego mitto vos. Ioh. 21. 15. Paſce oues meas. Act. 15. 28. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrò vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis ab iis, quæ idolis ſunt immolata, à ſanguine, à ſuffocato, & ſcortatione. Rom. 13. 1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. 1. Cor: 4. 21. Quid vultis in

virga

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis? 1. Cor. 11. 2. *Laudo vos fratres, quòd præcepta mea tenetis.* 1. Teſſ. 4. 2. *Scitis quæ præcepta dederim vobis. Et v.* 8 *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui Spiritum ſuum ſanctum nobis dedit.* Et 2. Teſſ. 3. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini illi.* 1. Tim. 3. 2. *Vnius vxoris virum.* 1. Tim. 5. 19. *Contra Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Hebr. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis: ipſi enim peruigilant tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri.*

18. *Quidam eiusdem concilij interpres, duobus præterea argumentis, quorum vnum auctoritate Ignatii, alterum conciliorum nititur, probare ſtudet prælatos Eccleſiæ diuinam auctoritatem habere in ferendis legibus, quæ nullum habent, vel mandatum, vel teſtimonium in verbo Dei.*

19. *Bellarminus aliorum Patrum allegat ſententias, & quædam recitat ex Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, Epiphanio.*

20. *Ad probanda opera indebita ſeu ſupererogationis, varia comportantur dicta, & præcipuè citatur illud quod eſt* Luc. 10. 35. *Si quid ſupererogaueris, reddam tibi cùm rediero: Occurruntq́ alia paſſim in diſputationibus Pontificiorum, de conſiliis & votis.*

21. *Poſſunt aliquo modo fieri humana diligentia, & humanis viribus externa opera diuinitùs mandata, qualia ſunt opera diſciplinæ, & gubernatio locomotiuæ, in Socrate, Ariſtide, Numa, Scipione, Pomponio Attico, & aliis non renatis. Sed hæc opera, quia ſunt ſine vera agnitione & inuocatione Dei, nec prælucet*

lucet fides & timor Dei, verè bona haberi non poſſunt.

22. *Iam enim in Definitione efficientiam bonorum operum aſſignauimus ſpiritui ſancto, qui cùm fidem creat in cordibus hominum, & intelligentiam, voluntatem, & membra noſtra à Deo auerſa inflectit, vt voluntati Dei cognitæ pareant, accendit in eis nouos motus, qui ſunt renouationis fructus, & fidei quaſi comites & teſtes.*

23. *Hunc gubernatorem cùm non habeant ignari Chriſti, nec fide inter operandum eò dirigantur, vt obſequium Deo debitum præſtent, quæ ab eis fiunt, non debent miſceri cum ea obedientia, cuius autorem & ducem dicimus eſſe Spiritum ſanctum.*

24. *Etſi enim ſunt quidam Heroici motus in viris præſtantibus etiam non renatis, & hi verè ſunt dona Dei, tamen ſpiritus ſanctus in illis tantùm eſſe dicitur, in quibus lucet notitia veri Dei accenſa verbo Dei, & fit inuocatio veri Dei.*

25. *Ab auxilio ſpiritus, & fide, bonorum operum originem deducendam eſſe, & non à carne, & naturalibus viribus, agnoſcunt etiam veteres verbi diuini interpretes. Nos paucos teſtes citabimus, quorum doctrina perſpecta, quæ fuerit aliorum eiſdem veſtigiis inſiſtentium ſententia conijci poteſt.*

26. *Greg. Nazianz. in ea oratione, quam habuit, poſtquam reuerſus eſt ex agro, poſt illa, quæ facta fuerunt contra Maximum, ait nullum eſſe opus gratum aut probatum Deo ſine fide, ſiue fiat inanis gloriæ cupiditate, ſiue inſtinctu naturæ, vbi, vt & in fine orationis, de ſancto lauacro addit, quemadmodum fides abſq; operibus eſt mortua, ita etiam opus abſq; fide eſſe mortuum.* Ἐπειδὴ πίστις χωρὶς ἔργων νεκρὰ, ὡς ἔργα δίχα πίστεως.

27. *Auguſtinus longè omnium luculentiſſimè hoc quod*

aſſeri-

aſſerimus docet, qua de re ipſum loquentem audiemus. Quid ergò? debemus nulla opera præponere fidei: id eſt, vt ante fidem quiſquam dicatur benè operatus. Ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergò computet bona opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat. Et infrà: Ecce pone aliquem impium peccatorem, non operatur. Quid autem credit? Credit autem in eum, qui iuſtificat impium. Ex eo enim quia non operatur benè, impius eſt. Et ſi bona videatur facere, tamen quia facit ſine fide, nec bona vocanda ſunt. Epiſt. 105. ad Sixtum: Opera bona fiunt ab homine: fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Lib. 1. ad Simp. quæſt. 2. Vocantis eſt ergo gratia. Percipientis verò gratiam, conſequenter ſunt opera bona, non quæ gratiam pariant, ſed quæ gratia pariantur. Non enim, vt ferueat, calefacit ignis, ſed quia feruet: Nec ideò benè currit rota, vt rotunda ſit, ſed quia rotunda eſt. Sic nemo propterea benè operatur, vt accipiat gratiam, ſed quia accepit. Quomodo enim poteſt iuſtè viuere, qui non fuerit iuſtificatus? Quomodo ſanctè viuere, qui non fuerit ſanctificatus? vel omninò viuere, qui non fuerit viuificatus? Lib. 4. ad Iulian. c. 3. Cùm ſine fide impoſſibile ſit placere, tibi virtutes ſine fide ſic placent, vt eas veras prædices, eiſq; bonos eſſe homines. Iſti ergò qui naturali lege ſunt iuſti, aut placent Deo, & ex fide placent, quia ſine fide impoſſibile eſt placere: & ex qua fide placent, niſi ex fide Chriſti? aut ſi fidem non habent Chriſti, profectò nec iuſti ſunt, nec Deo placent, cùm ſine fide placere impoſſibile ſit. Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent, vt tolerabiliùs puniantur, quia naturaliter, quæ legis ſunt, vtcunq; fecerunt. Hoc tamen peccantes, quòd homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia ille bonus, ſed quia ille magis malus &c.

28. *Non ergò ideo cenſenda ſunt opera bona, cùm fiunt ab hominibus, quia per ſe bona ſunt, & à Deo præcepta: ſed neceſſe eſt, vt naſcantur ex inhabitante Dei ſpiritu bono, qui vt ſuccus vitalis plantas vegetat ad proferendos fructus, ita ille varias ex homine, in quo domicilium fixit, progignit virtutes ad glorificandum Deum.*

29. *Ideo etiam diſcernendum eſt inter ea, quæ per ſe & ſuo genere ſunt peccata, & ea, quæ peccata tantùm ſunt per accidens. Per ſe peccatum eſt, quod fit contra legem, per accidens quod vel conceſſum eſt, vel etiam præceptum à Deo, ſed non iis cauſis, eo modo, animo, fine, quo ille conceſſit vel præcepit.*

30. *Quo diſcrimine obſeruato, quid ſentiendum ſit de Virtutibus Ethnicorum, & reprehenſione eorum operum in populo Dei, quæ ipſius Dei voce ſunt imperata, ſiue illa ceremonialia ſunt, ſiue moralia, toties recurrente in ſcriptura intelligitur.*

31. *Inchoata per fidem obedientia legis, ſeu iuſtitia bonæ conſcientiæ in conuerſis placet, non quia ſine omni peccato eſt, & legi ſatisfacit, ſed quia perſona recepta eſt in gratiam, & placet Deo propter filium Mediatorem.*

32 *Nam vt eorum opera, qui hoſtes ſunt Dei, grata eſſe non poſſunt, ſicut illud teſtatur, quod in Tragœdia quadam extat* τῶν ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, καὶ οὐκ ὀνήσιμα: *ita quorum perſona reconciliata eſt Deo, opera placent, & ſunt cultus, ſicut Paulus*

inquit

inquit Rom. 14.18. Qui in his ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatur hominibus. Coloſs. 1.10. Vt ambuletis dignè Domino, & per omnia placeatis, in omni opere bono fuctificantes. 1. Pet. 1.5. Offerte hoſtias ſpirituales acceptas Deo per Ieſum Chriſtum.

33. Non enim eſt iudicio Dei opponenda noſtra renouatio, quia in hac vita, quemadmodum in definitione profitemur, eſt imperfecta, neq; rigorem iudicij diuini ferre poteſt, ſi citati ad tribunal & iudicium Dei ea confidere ac niti vellemus. Quod & teſtimonia allegata in tractatione huius quæſtionis ex Pſalmo 18. & 130. & 143. Item ex 7 ad Rom. 1. Cor. 4.1. Iob. 1. oſtendũt.

34. Nec ſcriptura tantùm affirmat, manere peccatum in omnibus hominibus, in hac vita, poſt regenerationem, ſed & experientia ipſa & ſenſus in quoq; monſtrat multos morbos nobiſcum naſcentes, multa interiora mala, caliginem in mente, dubitationes varias de Deo, multas flammas vitioſorum affectuum, vt illiciti amoris, odij, cupiditatis vindictæ, inuidiæ, æmulationum, multa errata in vocatione, multas prætermiſsiones officij.

35. Cùm ergò tanta ſit infirmitas noſtra, & meritò turbare nos poſsit, non tantùm præſentis immundiciei, ſed & præteritorum lapſuum conſpectus, diſcamus demiſsè de nobis ſentire, & grata mente agnoſcamus & prædicemus immenſam bonitatem Dei recipientis nos in gratiam, & approbantis inchoatam obedientiam, quamuis impeditam & contaminatam, propter Mediatorem, qui & intercedit pro nobis aſsiduè, & eſt vmbraculum tegens infirmitatem noſtram.

36. Præbent huic noſtræ ſententiæ etiam ex Patribus nonnulli, teſtimonium, quòd bona fidelium opera ita ſint imperfecta, vt in iudicio Dei iuſtitiæ eius ſatisfacere non poſsint, quamuis ex ipſius ſpiritu fiant, & pulcherrimi ſint fidei fuctus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

37. *Producemus huc Hieronymum, Auguſtinum, & Bernhardum, qui de ſua ſententia nobis teſtabuntur. Ac Hieronymi hæc ſunt in Diſp. contra Pelag. Cùm me putauero ad calcem perueniſſe virtutum, tunc habebo principium. Hæc omnibus ſola perfectio eſt, ſi imperfectos eſſe ſe nouerint. Ex Auguſtino aſcribi poſſent plurima, ſed ſufficit in præſentia pauca deſignaſſe. Epiſt. 29. ad Hier. Quis ſine aliquo peccato? Quis ergo ſine aliquo vitio, id eſt, ſemine quodam, vel quaſi ſine radice peccati, cùm clamet qui ſupra pectus Domini recumbebat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Neq; hoc apud te, ſed propter alios, qui fortè hæc legerint, hæc dico. Nam tu quidem in eodem ipſo opere ſplendido contra Iouinianum, etiam hoc de ſcripturis ſanctis diligenter probaſti. Lib. de ſpiritu & litera cap. vlt. Ac per hoc quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille profecit, qui quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ proficiendo cognouit. Et infrà. Illud eſſe conſequens video, vt qualemlibet, vel quantamlibet in hac vita poterimus definire iuſtitiam, nullus in ea ſit hominum, qui nullum habeat omninò peccatum. Bernh. ſerm. 5. de verbis Ieſ. Cernere eſt, quàm ſit iuſtitia illa ſublimis, quam ſicut montes Dei Propheta eſſe miratur: noſtra enim (ſi qua eſt humilis iuſtitia, recta forſitan, ſed non pura. Niſi fortè meliores nos eſſe credimus, quàm Patres noſtros, qui non minùs veraciter quàm humiliter aiebant: Omnes noſtræ iuſtitiæ tanq̃ pannus menſtruatæ mulieris. Quomodo enim pura iuſtitia, vbi adhuc non poteſt culpa deeſſe?*

38. *Hypocritarum alia eſt opinio, qui ſe legi ſatisfacere, ſe iuſtos, id eſt, acceptos eſſe Deo propter propriam dignitatem,*

ſeu

ſeu legis impletionem putant, & in hac ſententia confirmantur, cùm rebus ſecundis & florentibus omnia ad voluntatem eorum fluunt, tumq́ arbitrantur ſe virtutum & diligentiæ ſuæ fructum capere diuinitùs, cùm res ſint tranquillæ.

39. Ad ſtabiliendum dogma de impletione legis, & merito operum, vndequaq́ conquiruntur rationes. Ac vt illud contineri in ſcriptura fides fiat minùs attento lectori, teſtimonia inde plurima depromuntur, quorum nos aliquot collegimus.

40. Gen. 7.1. Dixitq́ Dominus, ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac. 15.1. Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna. 17.1. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus. 22.18. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi. Leuit. 5.4. Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis &c. agat pœnitentiam pro peccato. Cuſtodite leges meas atq́ iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Deut. 18. 13. Perfectus eris, & abſq́ macula cum Domino Deo tuo. 28.1. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atq́ cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, eris benedictus. 30. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſsis viuere. 32.4. Dei perfecta ſunt opera. Ios. 11.15. Sicut præceperat Dominus Moſi ſeruo ſuo, ita præcepit Moſes Ioſuæ, & ille vniuerſa compleuit: nec præterijt de vniuerſis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iuſserat Dominus Moſi. 1. Sam. 2.30. Honorantes me honorabo, & contemnentes me erunt ignobiles. 1. Reg. 14.8. Non fuiſti ſicut ſeruus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eßet in conſpectu meo. 15.3. Non erat cor eius perfectũ cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius. 2. Reg. 23.25. Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, iuxta omnem legem Moſis. 2. Paral. 7.14. Si conuerſus populus egerit pœnitentiam à viis ſuis peßimis, & ego exaudiam de cœlo. 15.7. Vos ergo cõfortamini, & non diſsoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro. Iob 1.1. Vir ille erat perfectus & rectus, timens Deum, & recedens à malo. Pſal. 1.1. Beatus qui non ambulat in conſilio impiorum. 7.9. Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam, quæ eſt in me. 15.1. Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte ſancto tuo? qui incedit integer, & facit iuſtitiam. 18.20 Rependet mihi Iehoua ſecundum iuſtitiam meam: ſecundum puritatẽ manuum mearum retribuet mihi. 25.18. Vide afflictionem meam & laborem meum: & remitte omnia delicta mea. 41.1. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, nam in die calamitatis liberabit eum Iehoua. 106.3. Beati qui ius obſeruant: & quisquis ſe iuſtè gerit omni tempore. Et v. 30. Affuit Phinees, & vendicauit ſcelus, et cohibita eſt plaga. Et imputatum eſt ei ad iuſtitiam, in generationem & generationem vſq; in ſeculum. 119.32. Viam mandatorum tuorum percurri. Et v. 69. Concinnauerunt ſuper me mendacium ſuperbi: ego autem toto corde cuſtodio mandata tua. Prou. 10.12. Vniuerſa delicta operit charitas. Et v. 16. Opus iuſti ad vitam. 11.4. Iuſtitia liberat à morte. & v. 18. Seminanti iuſtitiam merces fidelis. 16.5. Beneficentia & fide expiatur iniquitas. Ies. 1.17. Diſcite benefacere, quærite iudiciũ, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite

viduam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

viduam: ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum &c. Et 38. 3. Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto. Ierem. 31. 23 Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam. Ezech. 18. 9. Si in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem, iuſtus eſt, vita viuet. Et v. 22. In iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. 26. 27. Spiritum meum ponam in medium veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. Dan. 4. 24. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. 6. 22. Deus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. Tob. 4. 11. Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat. Sap. 5. 16. Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. Syr. 3. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna expiat peccatum. 6. 15 Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum. 18. 22. Ne verearis vſq; ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum. Atq; hæc ex veteri Teſtamento fuerunt, ſequuntur ex nouo.

41. Matth. 5. 3. Beati pauperes ſpiritu &c. Et ver. 12. Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Et v. 20. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et v. vlt. Eſtote perfecti. 6. 14. Si remiſeritis hominibus peccata eorum, remittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. 7. 21. Qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum cœlorum. 10. 42. Qui potum dederit vni ex minimis iſtis, non perdet mercedem ſuam. 11. 30 Iugum meum facile eſt, & onus meum leue. 16. 27. Veniet cum Angelis ſuis, & reddet vnicuiq; ſecundum facta eius. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. v. 29. Qui reliquerit domum &c. centuplicia accipiet, & vitam æternam

poſſide-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

poſsidebit. 20.8. Voca operarios, & redde illis mercedem. 25.34. Venite benedicti patris mei, poſsidete regnum paratum vobis. Eſuriui enim, & dediſtis mihi quo veſcerer &c. Luc.1. 6. Erant iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela. 6.38. Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. 7.57. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. 10.28. Hoc fac, & viues. 11.41. Ea, quæ adſunt, date in eleemoſynam: & ecce, omnia erunt vobis pura. 12.47. Seruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, nec fecit, vapulabit multis. 16.9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula. Ioh.5.29. Et procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ. 8.51. Si quis ſermonem meũ ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. 14.21. Qui diligit me, diligetur à patre meo. 15.10. Si mandata mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. 17.6. Sermonem tuum ſeruauerunt. Actor.10. 4. Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. v.35. In omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt ei. 14.21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Rom.2.7. Reddet eis, qui perſtant, boni operis gloriam. v.13. Non auditores, ſed factores legis iuſti ſunt. 8.13. Si facta carnis mortificaueritis, viuetis. v.24. Spe ſaluati ſumus. 10.10. Ore fit confeſsio ad ſalutem. 13.8. Qui diligit proximum, legem impleuit. 1.Cor.3.8. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Et 13.13. Maxima horum charitas. 2.Cor.4.17. Momentanea leuitas oppreſsionis noſtræ æternum pondus gloriæ nobis conficit. 5.2. Superinduemur, ſi tamen veſtiti, non nudi reperiemur. v.

10. Quisq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

7.10. Qui ſecundum Deum dolor eſt &c. 13. 11. Perfecti eſtote. Gal.6.8. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Ephe.5.27. Vt ſiſteret ſibi glorioſam eccleſiam non habentem rugam, aut maculam. Philip.2.12. Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini. 3.15. Quicunq; perfecti ſumus, hoc ſentiamus. 4.13. Omnia poſſum in eo qui me corroborat. Coloſſ.1.22. Vt ſitis irreprehenſibiles. v.28. Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto. 3.14. Charitas eſt vinculum perfectionis. v.24. A Domino accipietis retributionem hæreditatis. 2.Theſſ.1.5. Vt digni habeamini regno Dei. 1.Tim.6.14. Vt ſerues mandatum ſine macula. v.19. Diuites recondant ſibi fundamentum bonum in poſterum. 2.Tim.4.8. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Item, Hebr, 6,10,12. 11,26. 13,16. Iacob. 1,12,25. 2,21,22,24. 1. Pet. 1,17. 4,8,14. 2. Pet. 1,10. 1. Ioh. 3,7,14,19. 4,16. 5,3. 2. Epiſt, v. 8. Apoc. 2,10. 3,4. 7,14,15. 11,18. 14,13. 19,8. 20,12. 22,12.

42. Quia prolixum eſt adducere ex Patribus quæ Ieſuitis & aliis allegantur, indicem ſolum monſtrauimus, ex quo intelligetur, quid ſit legendum eis, qui non ex citationibus, quæ ſæpe mendoſæ ſunt, ſed ex ipsa inſpectione autorum rem cognoſcere cupiunt.

43. Legendi ergo ſunt ex Græcis Ignatius epiſtola ad Rom. Irenæus lib. 4. c. 71. Iuſtinus martyr Apolog.2. Clemens Alexandrinus lib.1. Strom. Origenes in cap. 15. ad Rom. lib.2. contra Celſum. Euſebius Cæſar. lib.1. Præparat. Et 6. Demonſt. Euangelicæ. Athanaſius lib.de human. verbi, & ſerm. de paſſione & cruce Domini. Baſilius lib. de virginit. lib. 2. de ſpiritu ſancto. Epiphanius hæreſi 48. Chryſoſtomus homil. 8. de pœnitent. 4. de Lazaro. 2. in epiſt. ad Philip. 19. ad Hebr. Cy-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

rillus Alexand. 3. contra Iulianum. G. Nazianzenus 1. in Iulian. & ſerm. de Baptiſmo. Ex Latinis Tertul. lib. de reſurrectione carnis. Cyprianus de diſciplina, & habitu virginum. Hilarius in Pſalm. 118. Ambroſius lib. 1. de officiis, & lib. de vidais. Hieronymus lib. vtroq. contra Iouinian. & 3. contra Pelagian. Auguſtinus epiſt. 105. ad Sixt. lib de nat. & grat. c. 43. in Enchir. c. 121. ſerm. 18. de verbis Apoſtoli. Proſper in reſponſo ad cap. obiect. Gallor. Gregorius lib. 4. moral. c. 42. Bernhardus ſerm. 68. in cantica.

44. *Diligenter cauendæ ſunt inſidiæ à quodam Leſchaleo nuper ſtructæ veritati, qui vt incautis faciliùs imponat, magnam ſibi permittit in nouandis vocibus audaciam, & dum ita ludit, affirmat propter noui hominis* ἐντελέχειαν *ſeu actum primum* δικαιοπρακτικὸν, *vel qualitatē, vt ille loquitur, patibilem, in quam fides nobis tributa transeat, gigni intra nos actus ſecundos, hoc eſt, opera bona, ob quæ apud Dei tribunal æternam vitam obtineamus.*

45. *Nec tamen ideò negligenda ſunt opera bona, quia merito ſatisfactionis filij Dei acceptam ferimus donationem vitæ æternæ, vt neq. audiendi ſunt antinomi, qui vociferantur bona opera eſſe* ἀδιάφορον *quiddam, quod præſtitum quidèm non improbet, omiſſum verò non requirat Deus, vel etiam impudentiùs hac barbarica hyperbole vtuntur, in qua dicitur, bona òpera eſſe perniciosa ſeu officere ſaluti.*

46. *Nam ſiue obligatio ſpectatur, ſiue excellentia finium, quos aſpicere, inter benè agendum debemus, magnæ ſe offerunt cauſæ, quarum cogitatione flectendus eſt animus, vt certò ſtatuat iuſtitiam bonorū operum neceſſariò ſequi debere reconciliationem.*

47. *Ac Deo multis modis obligati ſumus. Nam ille*

&

Creator noſter eſt, & Dominus, & Pater, & Benefactor. Eſt autem hæc æterna & immutabilis ordinatio Dei, vt creatura rationalis creatoris Dei voluntati, certo & expreſſo verbo reuelatæ, obtemperet. Filius honorat Patrem (*Malach.* 1, 6.) *Et ſeruus Dominum ſuum: Si pater ſum ego, vbi honor meus eſt? Et ſi ego Dominus, vbi timor mei? dicit Dominus exercituum ad vos, ô Sacerdotes, qui contemnitis nomen meum. Et qui ingrati ſunt benefactoribus, meritò exoſi ſunt etiam Ethnicis. Ageſilao tale præbet teſtimoniū Xenophon in orat. de ipſo habita.* Ἐμίσει εἴ τις εὐεργετούμενος ἀχάριστος φαίνοιτο. Et 1. παιδείας Cyri de Perſis ita ſcribit: Ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς. Οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους, καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους.

48. *Atq; hæc eſt neceſſitas debiti ſeu mandati, de qua optandum eſſet omnes, qui Deo nomen in Baptiſmo dedere, cùm ſemper, tum maximè, cùm aliqua offert ſe peccandi occaſio, cogitare. Quam ad rem, vt magis extimulemur, memoriæ ita firmiter imprimantur hæc dicta, vt inde nunquam deleantur.* 1. *Samuel.* 15, 22. *Melius eſt audire, quàm ſacrificare, & melior eſt auſcultatio, quàm adeps arietum. Quoniam peccatum magiæ eſt apoſtaſia ſiue rebellio, & vanitas idololatrræ indurare animū, & nolle obſequi. Ies.* 58, 6. *Nonne hoc eſt ieiunium quod elegi, vt diſſoluas colligationes impietatis, ſoluas faſciculos graues, & omne iugum diſrumpatis? nonne vt frangas eſurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum? cùm videris nudum, operias eum, & à carne tua non abſcondas te. Hos.* 10, 12. *Seminate vobis in iuſtitia, metite iuxta miſericordiam. Rom.* 8, 12. *Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Si verò ſpiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. 1.Cor.6.19. Non eſtis veſtri iuris. Redemti enim eſtis precio. 1.Theſ.4,3. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtri, vt abſtineatis à ſcortatione, & ſciat vnusquiſq; veſtrûm vas ſuum poſſidere cum ſanctificatione & honore.

49. Vt autem ad imitationem Dei, cui illa mandati neceſſitate ad obediendum obſtricti ſumus, alacriùs nos præparemus, in ipſo proponitur nobis exemplum, quod intueamur. Leuit. 11,44. Et 19,2. Sancti eſtote, quia ego ſum ſanctus. Matth. 11,29. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Luc.6,36. Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter cœleſtis eſt miſericors. Iohan. 13,14. Itaq; ſi ego laui pedes veſtros, Dominus & Præceptor, vos quoq; debetis alij aliorum pedes lauare. 15.12. Hoc eſt mandatum meum, vt alij alios diligatis, ſicut ego dilexi vos. Philip.2,5. Is affectus ſit in vobis, qui fuit in Chriſto Ieſu. 1.Pet. 2,21. Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplar.

50. Cùm huic ſtudio obtemperandi Deo, in exercendis operibus ab ipſo mandatis, dediti ſumus, fructus percipimus longè dulciſſimos, quorum dignitate & præſtantia qui non mouetur, ne hominis quidèm titulo dignus eſt, nedum filij Dei.

51. 1. Ita confirmamur de fide qua inſerimur in Chriſtum, & in eo ſeruamur, ac ſentimus efficatiam ſpiritus ſancti in nobis habitantis, nos regenerantis & ducentis, teſtantis vnà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei, ac nos benè ſperare de promiſſa hæreditate iubentis. Qua de re plurima ſuppeditat teſtimonia verbum Dei. Matth. 7.17. Omnis arbor bona fructus bonos edit. Rom. 10,9. Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi ſpiritus Dei habitat in vobis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

[...]bis. 14. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt.* Item, *Eph.* 3,6. 2. *Tim.* 1,6. 1. *Iob.* 1,6,7. & 3,24. & 4,12. 2. *Pet.* 1,8,10. *Hebr.* 3,14. *Talem te præpara, inquit Bernhardus, de interiori domo c.* 5. *vt tecum adſit Deus: ſit in ore: ſit in corde: ſemper tecum eat: tecum redeat: nec recedat à te.*

52 2. *Ita vitamus horrendas illas pœnas, quas Deus minatur eorum animabus & corporibus, qui ipſius legem petulanter violant. Psal.* 39,11. *Correptionibus propter iniquitatem caſtigas homines, & tabeſcere facis, quaſi tinea, elegantiam eius.* 146,9. *Iehoua viam impiorum diſperdit. Prouerb.* 13,6. *Impietas peruertit peccatorem.* 14,32. *Propter malitiam ſuam expellitur impius. Iob.* 11,20. *Oculi impiorum deficient, ac ſpes eorum erit dolor animæ.* 1. *Cor.* 11,31. *Si nos diiudicaremus, non puniremur. Dum punimur autem, à Deo corripimur, ne cum mundo condemnemur. Coloſſ.* 3,6. *Ob hoc venit ira Dei in filios contumaces.*

53. 3. *Sic expectare poſſumus præmia temporalia & æterna, nobis fideliter laborantibus, ex gratuito pacto, promiſſa à Deo, qui non eſt vanus in ſuis promiſſis. Venit mihi in mentem hîc inſignis locus apud Auguſt. in fine capitis ſexti. Iohannes, inquit, præcurſor Domini noſtri ait, non poteſt homo accipere quicquam, niſi ei datum fuerit de cœlo. Si ergò Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua. De hoc fructu inſignis eſt concio Psalm.* 112. *quam concionem Paulus in ſummam contrahit,* 1. *Tim.* 4,8. *Pietas ad omnia vtilis eſt, habens promiſſionem præſentis & futuræ vitæ.*

54. 4. *Sic ornamus noſtram profeſſionem, oſtendimus nos*

renun-

renunciaſſe Sathanæ hoſti Dei, teſtamur nos ſocios eſſe ca[illegible] morum ſpirituum in cœlo, & omnium timentium nomen Dei in terra, exemplo ædificamus proximum, & officijs ſubleuamus. Philip. 2. 15. Vt ſitis irreprehenſi & ſynceri, Dei, inquam, filij inculpati in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo. 1. Thes. 5,6. Ne dormiamus, vt reliqui, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Psal. 119,63. Socius ſum omnũ timentium nomen Domini, & cuſtodientium mandata eius. 1. Cor. 10, 32. Eſtote ſine offendiculo, & Iudæis, & Græcis, & Eccleſiæ Dei. 2. Cor. 6.3. Nullam vlla in re præbentes offenſionem, ne vituperetur miniſterium. 1. Pet. 2,12. Pro eo quod loquuntur aduerſus vos, velut maleficos, ex bonis operibus quæ ſpectarint, glorificent Deum die viſitationis.

55. Hoc bonorum operum iter vera in Deum fiducia conſtanter tenentes, & atroces lapſus, qui contra conſcientiam fiunt, & gratiam ac ſpiritum ſanctum excutiunt, cauentes, rectâ progrediuntur ad requiem, quam in cœlo aſſequentur, vbi lætiſſimo Dei conſpectu perpetuò fruentur.

56. Atq; hæc de bonis operibus ad gloriam Dei, & noſtram & aliorum ædificationem, hoc tempore, dicta ſint. Faxit Omnipotens Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti per ſpiritum ſanctum, vt in hac doctrina perſtemus, & quò meliùs intelligimus nos ex nuda profeſſione fidei, quæ teſtimonium ex fructibus ſuis non habet, nihil iuuari, eò ſtudioſiùs Deo noſtro ſeruiamus, ipſiusq; Præceptis obediamus.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 548 4° copy 1